

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Correctio aq
cum fonte primo

Paulus arguit Petrum,

Petrus uero laudauit Paulum.

Amicus ergo ueritatis laudauit
quod reprehensus est.

Seque eciam minori fratri ad consensum dedit,

quatenus qui primus erat in apostolatus culmine esset
et primus humilitate.

Et sequitur:

Ecce a minori suo reprehenditur
et reprehendi non dedignatur.

Non ad memoriam reuocat
quod primus in apostolatu uocatus est,
non quod clauis regni caelestis accepit
et cetera.

Ne igitur increpacionis uerba dedignaretur audire,
omnia dona que acceperat quasi a memoria repulit
ut unum fortiter humilitatis donum teneret.

Gregorius super Ezechielem parte II. omelia VI.

Ecce Paulus in epistolis suis scripsit Petrum
reprehensibilem;

ecce Petrus in epistolis suis asserit Paulum
in his quae scripserat, admirandum.

Certe enim nisi legisset

Petrus Pauli epistolas, non laudasset.

Si autem legit,

quia illic ipse reprehensibilis diceretur inuenit.

Amicus ergo ueritatis laudauit

etiam quod reprehensus est

atque ei et hoc ipsum placuit,

quia in his non placuerat

quae aliter quam debuerat sensit.

Seque etiam minori fratri ad consensum dedit,

atque in eadem re factus est sequens minoris sui,
ut etiam in hoc praeiret,

quatenus qui primus erat in apostolatus culmine esset
primus et in humilitate.

Pensate rogo, fratres carissimi,

in quo mentis uertice stetit qui illas epistolas laudauit
in quibus se scriptum uituperabilem inuenit.

Quae illa tanta esse mansuetudo potuit, quae quies animi,
quae soliditas mentis atque imperturbatio cogitationis?

Ecce a minore suo reprehenditur,
et reprehendi non dedignatur.

Non ad memoriam reuocat

quod primus in apostolatum uocatus sit,

non quod clauis regni caelestis accepit,

non quod peccata quaecumque in terra solueret,
essent soluta et in caelo,

non quod in mare pedibus ambulauit,

non quod paralyticos in Iesu nomine iubendo erexerat,

non quod aegros corporis sui umbra sanauerat,

non quod mentientes uerbo occiderat,

non quod mortuos oratione suscitabat.

Ne igitur increpacionis uerba dedignaretur audire,

omnia dona quae acceperat quasi a memoria repulit,
ut unum fortiter humilitatis donum teneret.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*, 2.6.9 (CCSL 142, M. Adriaen ed., p.301, ll.201-225).